Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2739
Quelle:
Copyright:

Floro &c. Quadrata rotundis mixta accedente tamen ad calcem *Indice* materiarum.

III. *fol.* 31. p. 2. *Incipiunt septem enigmata aristotelis moralizata que recitantur a Valerio maximo libro 3° ad Ruffianum.* Nugae! *Aristoteles* pro *Pythagora*, inter cujus Ἱερὰ ἀποφθέγματα *Aenigmata* nostra leguntur, et *Liber III. Valerii Max. ad Ruffianum*, cui quidem ortum dedisse videtur spuria illa Epistola *Valerii ad Ruffinum*, quae inter *Hieronymo* subposita habetur edit. *Vallars.* T. XI. *col.* 240. quamvis in ea nil *Aenigmatum* horum occurrat. *Moralizationis* nostrae Autor christianus est; ita enim orditur: *Posside sapientiam quoniam melior est auro. Prov.* XVI. *Sepe contingit quod propter aurum homo spiritualiter ad mortem tendit* &c. Symbola vero, quae exponit, haec sunt: *Stateram non transilias. Ignem ne foueas* (fodias σκαλεύειν) *gladio. Coronam ne carpas. Cor non comedas. Cum profectus fueris, non redeas. Per uiam publicam ne ambules. Hirundinem in domo ne sustineas.* In quae qui commentati sint, habes in *Fabric. Bibl. Gr.* L. II. c. 12.

IV. *fol.* 33. iterum resumitur *Exemplorum* congeries *n.* 2. indicata, atque hic inter fontes *Innocentium III. de miseria condicionis humane* citari video, e cujus obitu an. 1216. judicium saltem de aetate *Collectionis* istius ferri potest. Quin et Titulus ejus e *fol.* 37. innotescit, ubi legitur: *Incipit liber tertius tripartiti moralium.* Initium: *Sicut dicit macrobius super sompnium scipionis* &c. et mox ait Autor: *Sequor autem in hoc* (libro) *potissime fulgencium* (Fab. Planciadem) *in l. mitologiarum. Item martianum* (Capellam) *de nuptijs philologie. et remigium* (Antissiodor.) *expositorem suum. alanum* (ab Insul.) *de planctu nature interponens hijs frequenter gratiosa figmenta esopi et m. Auiani.* Proceditur et hic ordine Alphabeti, ut in praecedentibus hujus *Tripartiti* fragmentis, primique Tituli sunt: *Actiua uita. Anima. Aduersitas. Adiutorium. Adulatio* &c. Quod si de ejus Autore quaeras, in *Conradum de Halberstadt* O. P. vehementer inclinor motus maxime codice *ms.* Biblioth. Metropolit. *Magdeburgensis*, quem sibi hoc titulo: *F. Conradi de Halberstat Tripartitum Opus Morale juxta Alphab. seriem*, visum testatur *Burc. Gotth. Struvius Introd. ad notit. Rei lit.* c. 4. §. 38. p. 191. *Ienae* 1706. 8. Consentit Codex *Sanjacobeanus*, et testimonium *Ludovici de Valleoleti*: *F. Conrardus fecit Tripartitam per Abecedarium*, in *Scriptt. O. P.* T. I. p. 466. ubi, ut mihi quidem videtur, non necessario plures *Conradi Halberstadienses* statuuntur. Floruit Noster primo Sec. XIV. dimidio. Vide *Fabricii Bibl. med. Lat. L.* III. p. 412. Ceterum Opus istud probe distinguendum a sequenti ejusdem Autoris.

V. *fol.* 53. p. 2. *Tertia pars triuij Conradi de Halberstad ordinis pred.* Et *fol.* 67. *Prima pars triuij fratris Conradi de Halberstad.*